



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Tractatus Juridicus Ad Librum III. Decretalium Gregorii IX.  
Clericorum in communi, nec non Prælatorum, ac  
Capitulorum in specie obligationes, & jura complectens**

**Scharz, Oddo**

**Salisburgi, 1738**

§. V. De Collationis Effectu.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63800](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-63800)

- - - *Nihil est, Antipho,  
Quin male narrando possit depravier.*

*Tu id, quod boni est, excerpis:  
dicis, quod mali est.*

De salebrosa hac quæstione plura scribere non vacat, votum duntaxat nostrum cum laudato P. Hagemann. his verbis explicamus: „Optandum unicè foret, ut beneficia majora, seu Canonici in Metropolitanis, aut Cathedralibus Ecclesiis non ex gratia, & favore conferrentur illustri, aut generoso stemmate natis; sed ex merito doctrinæ, virtutis, ac morum honestatis, instituto concursu inter eos, qui suam Nobilitatem, & capacitas tem gentis probare possunt. Quanlis non foret fervor & neroſæ juvenitatis in cultu morum, ac litterarum! tantum inde bonum Ecclesiæ accresceret!

Sunt defactò in variis Ecclesiis Cathedralibus Germaniæ Evangelice, nec non reformatæ ut vocant, Religionis Canonici cum Orthodoxis commixti, de quibus, an ad Capitula, quæ sacra Ro-

mana colunt, admitti possint, vehemens olim exarserat contentio. Inter alia, quæ ab Orthodoxis opponebantur, id quoque erat, quod absurdum illud eventum esse dicent, ut, si ad Canonatus admittatur triplex hominum conditio, Catholicorum, Lutheranorum, & Reformatorum, confusio vocationum oriatur. Ad hoc responderunt Protestantes, nullam confusionem, nullamque turbam inde metuendam esse. Sed hæc Responsio ex Sententia Bœhmeri nervum non habet, utpote, qui docuit ad Tit. de SS. Trinit. §. 75. quod Exercitu Religionis nostræ cum statu Religionis Protestantium quieto stare non possit. Sed, quidquid sit de hoc Bœhmeri errore, hæc Controversia in Pac Westphalica art. 5. §. 23. taliter composita fuit, ut, quot Capitulares, aut Canonici die 1. Januarii Anni 1624. uspiam vel Aug. Confess. vel Catholici fuerunt, totidem illic ex utrâque Religione erunt semper, nec decadentibus, nisi ejusdem Religionis confortes surrogentur. Fortè de hac mirabili hominum mixtura Isaias Vaticinatus est cap. 11. v. 6. Habitabit lupus cum agno, & pardus cum bœdo accubabit.

### §. V.

#### *De Collationis Effectu.*

##### S U M M A R I A.

46. *Principalis Effectus est, quod Collatarius post acceptationem beneficii acquirat jus in re.* 47. *Sin absenti, & ignorantia facta sit collatio, jus duntaxat ad rem ei acquiritur, quod impedit, ne alteri Episcopus hoc beneficium conferre possit.* 48. *Occurritur oppositioni.*

46. **E**ffectus collationis legitimè factæ præcipuus est, quod Beneficiatus post collationem sibi factam,

si eandem ratam habuerit, & vel per se, vel per procuratorem, mandato speciali non tantum ad hoc numero be-

ne-



neficium, sed ad beneficia in genere instructum acceptaverit, mox *jus in re*, etiam sine traditione vel actuali apprehensione possessionis acquirat, *cap. 17. b. t. in 6.* quia in spiritualibus titulus loco traditionis est. Barbos. *ad cit. cap. num. 5.* Passerin. *ibid. num. 9.* Tiraquell. *de Jure Primogen. Quest. 17. art. 11. num. 5.* Et non tantum beneficium tanquam suum vindicare à possesso, vel detentore, ac pro ejus juribus agere, verum etiam ejusdem possessionem vacantem propria autoritate apprehendere valeat. Garz. *Part. 4. cap. 2. n. 6.* Covarruv. *lib. 3. V. R. cap. 16. num. 7.*

**47** Quodsi verò beneficium alicui absenti, & ignorantis collatum fuerit, *jus* quidem in re ante acceptationem beneficiato non acquiritur, *jus* tamen ad rem, quo impeditur Episcopus, quo minus illud beneficium alteri liberè conferre possit. *d. cap. 17. b. t. in 6.* Si verò Episcopus collatione facta, absenti congruum terminum pro imperiendo consensu assignaverit, isque voluntatem suam intra præfinitum tempus non declaraverit, poterit ex tunc Episcopus beneficium, cui viderit expedire, liberè conferre, *d. cap. 17.* quia hoc in casu ejus taciturnitas habetur pro recusatione. Passerin. *ad d. cap. num. 21.* Quodsi denum terminus de-

liberationi datus elapsus sit, nec alteri adhuc per Episcopum collatio facta sit, poteris is re adhuc integra, beneficium acceptare, eo effectu, ut collatio postea alteri facta ab Episcopo sciente, lapsum fuisse terminum, & ignorantie acceptationem factam à priori, ipso jure sit nulla, quia per acceptationem, lapsu quantumvis termino, retamen adhuc integra factam, prior *jus in re* acquisivit, fecitque beneficium suum. *citat. cap. 17.* Passerinus *ibid. num. 24.*

Dices: Collatio beneficii est donatio <sup>48</sup> *cap. 4. de Donat.* at hæc revocari potest ante acceptationem donatarii, *l. 2. §. sed si quis l. 10. ff. de Donat. l. 28. ff. de A. vel A.P. ergo &c.* Respondeo, collationem quidem dici *donationem*, non tamen sine dissimilitudine, dum donatio propriè talis ex mera liberalitate donantis procedit, collatio verò beneficii ex debito Ecclesiasticæ potestatis officio, & ex quadam necessitate fit, & hinc inter utramque hæc est disparitas, quod in donatione propriè tali donator res donatas ante acceptationem, imò etiam post eam, ex causa ingratitudinis revocare valeat. *cap. fin. de Donat.* Collator verò sibi beneficium retinere, aut semel collatum ante acceptationem revocare nequeat.

## §. VI.

### De Reservatione, & Affectione Beneficiorum in genere.

#### S U M M A R I A.

49. *S. Pontifex*, tanquam universalis Ecclesiæ Pastor, beneficia sua collationi reservare potest. 50. *Reservatio alia est generalis, alia particularis.* 51. *Alia, que cum Decreto irritante, alia, que sine hoc Decreto fit.* 52. *Beneficium aliud reservatum, aliud affectum.* 53. *Quid discriminis inter utrumque?*

S 3

Quan-